

Der folgende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!

Bei der Fertigung der Reinschrift der Übersetzung für Korrekturzwecke jede zweite Zeile frei lassen!

Der Aufstieg des Lucius Tarquinius Priscus

Der Etrusker Tarquinius argumentiert mit seiner guten Integrationsleistung für die Wahl zum römischen König und bestätigt seine Ambition durch die ersten Regierungshandlungen.

Regnavit Ancus annos quattuor et viginti, cuilibet superiorum regum belli pacisque et artibus et gloria par. Iam filii prope puberem aetatem erant. Eo magis Tarquinius instare, ut quam primum comitia regi creando fierent. Quibus indictis sub tempus pueros venatum ablegavit.

Isque primus et petisse ambitiose regnum et orationem dicitur habuisse ad conciliandos plebis
5 animos compositam: se non rem novam petere, quippe qui non primus - quod quisquam indignari mirarive posset -, sed tertius Romae peregrinus regnum adfectet; et Tatium non ex peregrino solum, sed etiam ex hoste regem factum, et Numam ignarum urbis, non petentem, in regnum ultro accitum: se, ex quo sui potens fuerit, Romam cum coniuge ac fortunis omnibus commigrasse; maiorem partem aetatis eius, qua civilibus officiis fungantur homines, Romae se
10 quam in vetere patria vixisse; domi militiaeque sub haud paenitendo magistro, ipso Anco rege, Romana se iura, Romanos ritus didicisse; obsequio et observantia in regem cum omnibus, benignitate erga alios cum rege ipso certasse.

Haec eum haud falsa memorantem ingenti consensu populus Romanus regnare iussit. Ergo virum cetera egregium secuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio est; nec
15 minus regni sui firmandi quam augendae rei publicae memor centum in patres legit, qui deinde minorum gentium sunt appellati, factio haud dubia regis, cuius beneficio in curiam venerant.

Bellum primum cum Latinis gessit et oppidum ibi Apiolas vi cepit; praedaque inde maiore, quam quanta belli fama fuerat, revecta ludos opulenter instructiusque quam priores reges fecit.

Sollemnes deinde annui mansere ludi, Romani magnique varie appellati.